GROTEFEND

AD

PUBLICAM EXPLORATIONEM

PROGRESSUUM

QUOS

GYMNASII GOTTINGENSIS

CLASSIUM OMNIUM DISCIPULI

IN HUMANITATIS STUDIIS FECERUNT

DIEBUS XXIV. ET XXV. M. MARTII MDCCCXXXIV

IN AUDITORIO GYMNASII MAXIMO INSTITUENDAM

ET

AD DECLAMATIONES SCHOLASTICAS

DIE XXVI. M. MARTII AB HOR. MATUT. IX. AUDIENDAS

GYMNASII EPHOROS PATRONOS FAUTORES

DISCIPULORUMQUE PARENTES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

AUGUSTUS GROTEFEND

RECTOR GYMNASII.

INSUNT:

1. Ern. Bergeri Philos. Doctoris, de fontibus historiae Romanae antiquioris historicorum aetate prioribus commentatio.
2. Annales gymnasii et sollemnium descriptio.

GOTTINGAE MDCCCXXXIV.

TYPIS EXCUDIT FRIDERICUS ERNESTUS HUTH.

DE

FONTIBUS HISTORIAE ROMANAE ANTIQUIORIS HISTORICORUM AETATE PRIORIBUS

SCRIPSIT

JO. LUD. ERN. BERGER, DR. PHIL.

GOTTINGAE MDCCCXXXIV.

PROOEMIUM.

Quod apud Pindarum est de rebus priscorum Graecorum super veritatem exornatis et falsis commentis mirifice auctis, id ipsum in omnium historiarum primordia usquequaque cadit. Ita enim Thebanus poëta:

ἦ θαυματὰ πολλὰ,
καὶ που τὶ καὶ βροτῶν φρένας ὑπὲρ τοι ἀληθῆ φάτιν
δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι. Olymp. I. 28.

Omnium videlicet gentium antiquior historia est obvoluta mythis fabulisque, in quibus divina humanis immixta, facta confictaque arctissimis inter se vinculis adeo connexa sunt, ut in plurimis aliter vix quam conjectando et divinando veri aliquam speciem adsequi possimus. Ac miserandam esse in hoc, velut in aliis, videmus sortem humanam, si cogitamus, quam obscura et manca sit ab rerum inde primordiis per terrarum orbem hominum rerumque memoria, ex sexaginta fere, quae effluxisse vulgo creduntur, seculis, vix esse sex, quorum notitiam habeamus paullo exploratiorem, atque etiam hanc vix unius alteriusve populi, et maximam partem in excidiis populorum per bella et proelia, exitiosioraque his regum imperia, occupatam: jacere reliqua nocte tenebrisque sepulta: adeoque nos, quibus hoc terrarum orbe jam senescente nasci contigit, rerum tamen eventorumque notitiis esse pueros: adeo multa ex superiorum seculorum memoria ignoramus, ut saepe, cum viros doctos de antiquorum populorum institutis, moribus, religionibus et opi-

nionibus tanquam de re luculenta et satis explorata tam asseveranter pronuntiare audimus, in animum veniat illud, quod apud Platonem sacerdotes Aegyptii occinebant: *ὦ Σόλων, Σόλων, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε· γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν· νέοι ἐστὲ τὰς ψυχὰς πάντες* (Tim. p. 22. Tom. III.). Omni hoc generi humano dictum putabimus, inprimis sapientibus ac doctis, quibus omnia a se ad liquidum perducta videntur.

Si de causis quaerimus, cur veterum narrationes mythis fabulisque involutae sint et tam mire amplificatae, redeundum nobis est ad superiora tempora, donec ad ultimam antiquitatem et ad ipsas rerum hominumque origines perveneris: quid ergo mirum, in ipsa generis humani infantia causas esse positas, nec mediocriter a primitiva indole et ratione veterum sermonis esse repetendas, qui tum erat parum excultus et locupletatus, notionibus parum accommodatus, atque idoneis propriisque vocabulis destitutus [1]). Accidit ita, ut cogitata in facta verterentur, et quicquid apud animum meditatione conceptum esset, in rem actam gestamque mutatum narraretur, nec modo humana vita, sed rerum animantium quoque et rerum adeo inanimatarum vires et naturae ad actionem vocatae novis rerum miraculis narrandis materiem subministrarent. Quoties itaque per omnem generis humani historiam in narrationum miracula et ludibria incidimus, quibus symbolica quaedam aut allegorica loquendi ratio locum fecit, in illa cogitatione defixi sumus, quot quantisque falsis commentis historia caritura esset, et quam multo plenior antiquitatis intellectus foret, si ab initio statim generis humani idoneus sermo exstitisset, quo eloqueretur quisque ea, quae cogitatione proprie designabat, neque utendum fuisset illa symbolica ratione, qua sensui subjiceretur id, quod sub sensum non caderet, neque adduci posset. Saltem ex quo hominum sermo ad philosophicam quandam subtilitatem fuit adductus, utinam omnis illa oratio e generis humani commerciis expelli potuisset! Sed majorum exemplo et imitatione posteri eandem observabant, ita ut ne cogitarent quidem de rerum tam mire traditarum vi et sensu, ut potius, si res ita ferret, aliis adjectis interdum, aliis immutatis, multa novarent, aliasque novas narrationes miras et fabulosas procuderent, non magis idoneo cum judicio, sed temere et casu. Tam ardua fuit res humanis ingeniis ad ipsa rerum principia eniti,

---

1) Adi sis Heinium De caus. physicis fab. s. myth.; Exc. I. ad Il. VIII.: et confer quae contra eum ingeniose observat O. Mueller, Prolegomena etc. p. 70 et 320 sqq., ubi V. S. diversas et ab invicem aberrantes aliorum Vv. dd. de hac re sententias affert, et censurae severiori subjicit.

iisque perspectis mille fictionum et vanarum opinionum arcem evertere. Evenit, ut narrata illa successu temporis non modo retinerentur, verum acciperentur tanquam proprie dicta et vere gesta, et cum deinceps, quoties repeterentur, audientium et addiscentium animos admodum incenderent et inflammarent, inprimis si numeri accederent et concentus, mox etiam vetustatis auctoritas et religio: mirarine debemus, si inter veteres omnia ad fabulas et mythos redierunt, horum tanta inter eos vis et dignitas viguit? Quo modo enim huic studio non indulgerent ii, qui nullam aliam orationem haberent, quam quae omnia ad ingeniosas fictiones, ad prosopopoeias et allegorias adduxisset. Inde nec mirari subit, de tot rebus tam vaga diversaque esse tradita, inprimis si reputamus, veterum rumores saepe e diversis terris aut a diversis stirpibus manasse, nec profectos esse aut literis consignatos ab homine, qui tum vixerat, neque ab uno sapientium aut sacerdotum ordine, sed a majoribus et auctoribus stirpium et familiarum, a quibus haec vel illa narratio accepta ferebatur, esse profectos, pluribus jam inter se confusis, a poëtis variatos, interpolatos, ornatos, ut saepe de fontibus, patria et auctoritate, quod pronuntiari possit, vix habeamus.

Sed nihil attinet ulterius persequi ea, quae, ut pro dignitate et gravitate sua satis explicentur, libri molem sibi postulant, quem utinam alius literarum copiis me instructior aliquando absolvat! Sufficiant haec, ut jam progrediamur ad praescriptam nobis disserendi provinciam, quae in fontibus Romanae antiquioris historiae historicorum aetate prioribus indagandis et exponendis continetur.

Quod in universum modo de obscuris historiarum initiis diximus, idem fere de antiquiori Romanae civitatis aetate valet. Ut enim illa omittam, quae natalem Urbis antecesserunt, quae nimis antiqua et cum maxime obscuris totius historiae initiis connexa prorsus nos fugiunt, unde Italiae populi originem traxerint, qua via et quibus rationibus ducti homines, relictis mitioribus regionibus, ad remotiores has terrae partes migraverint, de quibus rebus nunquam quidquam certi statuere, sed nullis fere praeter analogiam quandam et linguarum ac morum comparationem subsidiis adjuti, conjecturis tantum veri aliquam speciem adsequi possumus; in multo seriori quoque aetate, quo tempore Roma Urbe jam enata primi Romani armis victricibus, virtute et patriae libertatisque amore inter ceteros Italiae incolas inclaruerunt, multa in tenebris jacent. Origines Urbis sunt incertae, et fabularum pelago immersae, ut ne ad temporum quidem calculos revocari possint: multa, quae de regum aevo,

sequiori etiam tempore a scriptoribus tanta cum pompa reique exaggeratione tradita sunt, obscura sunt et dubiis haud levibus vexata. At vero per fontium indolem, ex quibus antiquioris Romanae historiae notitia profecta est, atque per ipsam rei naturam aliter hoc cogitari nequit. Romani enim parvo usi rerum magnarum initio, non solum nullum statim a principio inde habuere scriptorem, qui populi sui historiam et fata describeret et ad posteritatem traderet, sed perierunt quoque temporum injuria, quae ex remotiori antiquitate rariora exstabant rerum monumenta, et quae ore ferebantur de claris majorum rebus gestis traditiones: multae veterum narrationes postea coaluere cum novis et adventitiis, in quibus extricandis et explanandis vel doctissimo saepe aqua haereat: multa autem sunt aetate, multa multorum iteratione ac frequentatione variata auctaque in majus rerum miraculum.

At vero, licet tot tantisque difficultatibus pleniorem ac penitiorem hujus aetatis cognitionem implicitam videamus, neutiquam tamen cum illis disputandum, qui propter nimiam rei difficultatem et exiguam utilitatem omne Romanae antiquitatis illustrandae studium, et quicquid in ea diligentiae ponitur, irritum et febriculosis, uti loquuntur, umbraticisque criticis relinquendum putant; neque eos argumentis, quae multa sunt et gravissima refellere in animo est. Romanis enim mythicam quandam periodum fuisse, in oculos incurrit; mythica autem haec si saepius a poëtis retractarentur, Urbs Roma idem experta est, quod innumerae Graeciae urbes, quarum κτίσεις a poëtis enarrabantur. Largiamur itaque, vera et fide plane digna ad primum fere adspectum paucissima esse numero, quae de antiquiori Romanorum aetate apud veteres scriptores relata legimus; atqui ea etiam, quae falsa sunt et ficta, utut multiplicia et innumera videntur, si tamen rite aestimes, eaque ad suas rationes, caussas et origines referas, et ipsa numero esse pauciora, et alia saepe aliis, quae tenebris mersa paullo ante videbantur, sua sponte lucem inferre videas, nec raro ex iis, de quibus certo nobis constat, judicium posse ferri de iis, quae non recte tenemus. In eo autem ipso summus historiarum fructus cernitur, ut ea, quae traduntur, vera sint et fide digna: quae certa, quae dubia sint, quae fabulosa et ficta, evictum sit necesse est, nisi omnem historiam in vanum abire disciplinae simulacrum velis. Quocirca decet illum, qui cum laude et fructu in tali re versari cupiat, omnia circumspicere, et undique conductis praesidiis et accurata scriptorum comparatione instituta, quod optimum et fide dignissimum videatur, eligere, omnem autem illam, ex qua eligendum est, turbam copiamque praesentem sibi habere. Ad hoc potissimum animus

intendendus, tota in eo cogitatio defigenda, ut intelligamus teneamusque deinde, quid sibi efficiendum docendumque proposuerint scriptores, quam viam inierint in historia concinnanda, quae consilia sint secuti, num voluerint ac potuerint verum dicere, num iis licuerit, quibus ad res narratas argumentis et subsidiis usi sint, et quam feliciter, videanturne ea narrare, quae sic fieri potuerint, et aliorum etiam fide nitantur, an dicant, quae conciliari vel inter se vel cum aliis rebus, de quibus certo nobis constat, non possint. Verbo, attendendum est in ipsam rerum, quae traduntur, naturam et scriptorum auctoritatem. In quibus omnibus maxime tamen cavendum, ne antiqua ad nostrae aetatis rationes referantur. Toto enim coelo a nostra distat antiquior populorum aetas, plane abhorrens a nostris opinionibus, moribus et institutis: potius in aprico est positum, rudium necdum ad culturam meliorem progressarum gentium notitiam et comparationem multum utilitatis habere ad priscae historiae fidem firmandam, nec non ad intelligendos explicandosque veteres historiarum scriptores et poëtas, maxime epicos, qui et obscuritatis habebunt plurimum, et multa absurde dicere et fingere videbuntur, nisi animo te ad haec vitae initia populorumque ab agrestis vitae licentia in justas civitates et imperia paullo ante coactorum mores et opiniones referas. Non jam id monebo, totius epici carminis naturam et rationem intra horum fere temporum facta moresque contineri, nec facile, si ab heroica vita discesseris, idoneum satis verae epici carminis naturae argumentum reperiri posse; verum in epicis nemo cum fructu et voluptate satis magna otium suum collocabit, qui non priscae istius vitae temporumque, quae in ipso limine vitae melioris vitaeque asperioris confiniis effluxere, opiniones moresque sibi obvios et familiares reddiderit.

Sed revocanda oratio est eo, unde devertit. Videndum jam penitius est de fontibus, unde primi historici de antiquiore Romanae civitatis aetate tradita sua hauserint. Cum enim studiorum nostrorum in antiquitate illustranda ea omnino sit ratio, ut raro tantum primos fontes adire nobis liceat, intercepto autem ad eos aditu, tantum supersint plerumque ii scriptores, qui ex his iterum tradita sua derivarunt: in Romanae tamen antiquioris historiae fide judicanda ea est maximi momenti res, ut, quantum certe fieri potest, recte teneamus, quanam auctoritate nitantur ea, quae a veteribus scriptoribus de illa aetate relata sunt, ac subsidia, quibus superiorum seculorum notitia ad posteros propagata sit, indagemus: his demum ad liquidum perductis et aliquatenus stabilitis, de eorum quoque scriptorum auctoritate, qui felici quo-

dam casu nostram aetatem attigerunt, quales Livius, Dionysius et Plutarchus sunt, accuratius judicium ferri poterit. Quaestio autem illa mirum quantum viros dd. vexavit, et in diversissimas de hac re sententias traxit. Fuerunt enim, qui omnem antiquiorem historiam Romanam ex unico epico carmine continuo profectam esse contenderent: alii contra putarunt, Romae Urbis origines et incunabula aliaque antiquitus a Romanis gesta, qualia ea apud Livium et alios tradita legimus, meris sequiorum poëtarum et Graeculorum figmentis deberi, neque ullo historico fundamento superstructa esse: hanc vero opinionem, quam primus Cluverus [2]) amplexus, nuperrime Schlegelius [3]) magis infirmare conatus est, ut rejiciamus, gravissima rerum Romanae antiquitatis monumenta atque scriptorum testimonia minime spernenda nos cogunt; illi tamen sententiae, cujus auctor est Niebuhrius [4]), quominus plane adstipulemur, praeter alia scriptorum veterum silentium obstat. Habet quidem haec sententia primo fere adspectu multa, quibus se commendet, praesertim si

2) Cluver. Ital. antiq. p. 828 sqq.

3) In Annalibus Heidelbergens. 1816. nro 53. — Sententia Schlegelii, Romae incunabula a Graeculis conficta et inter Romanos pervulgata esse, unice fere innititur auctore Plutarcho, qui (Romul. c. 3.) tradit, Dioclem quendam ex insula Peparetho ortum, Fabio Pictori, patri Romanae historiae, auctorem fuisse. Verba Plutarchi sunt: »τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς ὁ Πεπαρήθιος, ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθησε.« Largiamur lubenter, multas et diversissimi generis corruptelas seriori tempore a Graeculis Romanae historiae illatas esse, multa ab iis perversa et conficta esse: at vero Romanos primo a Graecis scriptoribus origines suas edoctos esse, quis credat? Profecto igitur, si quidquam, hoc Plutarchi traditum ab omni verisimilitudine abhorret. Vix enim credibile est, tunc jam Graecum scriptorem de originibus Romae Urbis prolixius exponendis cogitasse, cum demum post Achaica et Macedonica bella complurium Graecorum industriam huic rei impensam fuisse inter omnes constet. Quid autem? nosne demum Plutarchi fide credamus, Dioclem obscurum illum, de cujus neque aetate, nec libro nec patria aliud quidquam certo constat, nisi quod Plutarchus habet, eum non integram historiam Romanam sed Urbis tantum origines s. κτίσιν scripsisse, hunc Dioclem Romanarum originum auctorem fuisse, Fabio Pictori, qui pater Rom. historiae et antiquissimus scriptor pluries apud Livium audit, praecessisse, cum ne unus quidem alius scriptor tale quid tradat, maxima vero argumentorum evidentia evictum sit, populares illos rumores circa Urbem condendam multo priusquam Graecorum libri Romae legerentur, inter Romanos viguisse (cf. Wachsmuth's Röm. Geschichte p. 122.). Pensitantes igitur, quanta illis famae narratiunculis, quas seriorum temporum scriptores saepe retulerunt, fides habenda sit, nec ignorantes, nos via ad fontes propatula ac satius munita in multis haud raro veterum errores corrigere, quaeque falsa retulerunt, melius stabilire posse, talem famam a Plutarcho tot seculis post Dioclem vivente traditam, parvi admodum momenti esse, fateamur necesse est; ac in tanta rei vetustate si conjecturae indulgere licet, verisimilius est, inversa re Dioclem Fabii libros graece reddidisse, et ad verbum ex eo expressisse. Quà amborum fortassis librorum mutua similitudine Plutarchus deceptus in hunc errorem incidisse et ambos confudisse videtur.

4) cf. Nieb. R. H. I. p. 283 sqq.

putamus, vetustissimis fere quibusque populis in usu fuisse res a se vel a majoribus gestas carminibus et canticis mandare, atque ita eas quacunque occasione diebus festis, vel etiam in conviviis cantando celebrare, ut ne brevi tempore memoria earum obliteraretur. Ita de Germanis, majoribus nostris, ait Tacitus c. 2.: „unum apud illos memoriae et annalium genus esse antiqua carmina,“ quibus celebrent majores suos. Et alibi (Annal. II. 88.) scribit etiam suo tempore cani adhuc apud eos Arminium, magnum illum Germaniae liberatorem, qui Varum et tres legiones oppressit. Apud Graecos quoque scimus serum fuisse literarum usum, primosque historicos vixisse demum paullo ante Persarum in Graeciam expeditionem, et nullum reperiri literarum monumentum, quod omnium consensu sit antiquius Homeri carminibus, quin neque hunc ipsum sua carmina literis mandasse, sed memoriae hominum per varias cantilenas, ex quibus postea conflatum et compositum esse opus Iliados et Odysseae nunc inter omnes fere constat. Atqui aliter se habuit res apud Graecos, aliter apud Romanos, qui jam ab antiquo inde tempore artificio scribendi usi sunt. Miro quidem cum acumine Niebuhrius de antiquis Romanorum epicis carminibus exposuit, atque probare studuit, Ennium ex illis carminibus, quibus antiquior fere regiae aetatis historia comprehensa fuerit, hausisse trium librorum argumentum, quod primus heroico metro conceperit (I. p. 289. ed. nov.). At vero speciosius quam verius haec disputavit Niebuhrius, seductus cogitatione de Homerica epopoea. Minime diffitemur, cantilenas quasdam, πατρίους ὕμνους quos Dionysius dicit, pariter apud veteres Romanos atque apud tot alias priscas gentes exstitisse: id quod disertis adeo veterum testimoniis constat. Attamen de epicis carminibus cum ante Naevium, qui narrationem suam inde a primo bello Punico Saturniis versibus conceptam inceperat, et eum, qui non epos, ut Niebuhrius opinatur, sed annales protulit Ennium nihil commemoretur, unquam ex illis in ordinem redactis historicis cantilenis unum longius et continuum epos conflatum esse, quod ita cum omnibus vestigiis obliteratum perierit, Enniique auctoritate oppressum sit, ab omni verisimilitudine abhorret. Quibus autem argumentis Niebuhrius potissimum sententiam suam adjuvare voluit, sunt loca quaedam apud Ciceronem (Tusc. Quaest. I. 2. IV. 2.), Valerium Max. (2, 1. 10.) et Nonium Marcellum II. 20, ex Varron. vita de pop. Rom., cujus verba in hunc modum sonant: „In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant majorum, et assa voce et cum tibicine etc.“ — Largimur lubenter carmina, de quibus hic agitur, minime fuisse ab omni

historico argumento vacua, nec solum, ut Schlegelius injuste asserit, breves formulas ac Deorum invocationes aliave id genus: sed minime verisimile est, his versibus longiora et continua epica comprehensa fuisse, praesertim cum scriptores addant, ad tibiae sonum versus cantatos esse. Quae tamen ad Niebuhrii sententiam refellendam praeterea Schlegelius addit, cum Romae ab initio inde Urbis penes sacerdotes fuerit summum imperium, ibidem neque nasci, neque excoli potuisse artem poëticam, Romanosque praeterea, totos bellis gerendis agrisque colendis deditos, ab omni bona arte atque inprimis a poëtica tantum non semper alienissimos fuisse, ipsumque poëtarum nomen graecae esse originis, Romanam tandem linguam horridam illam, paucissimis inclusam verbis diu vix legibus scribendis, nedum historiae concinnandae suffecisse, haec sunt ejusmodi, ut inde non solum nihil fere probari possit, sed adeo maxime in dubium vocari debeant. Ubi enim sacerdotes imperant, ibi haud raro florere artem poëticam, vel orientalium populorum exemplis, qui ad nostram notitiam pervenerunt, satis luculenter constat; neque vero latina lingua caret verbo, quod poëtam significat, cum vates sit ille, qui res futuras et praeteritas cognitas habet, atque utrasque carmine suo complectitur.

Niebuhrius autem defendendae suae opinionis cupiditate eo se abripi passus est, ut apud Livium integros Saturnios versus invenisse sibi videretur, velut in historia Lucretiae (Liv. I. 58.):

Tace, inquit, Lucretia | Sextus Tarquinius sum
Ferrum in manu est; moriere, | si emiseri' vocem.

Miramur, Virum Summum in medio reliquisse, utrum Livii adhuc tempore ejusmodi carmina exstiterint, an Livius illos versus ex alio priore scriptore haustos servaverit. Sed si statuamus, Livium illa carmina ante oculos habuisse, mirum sane videri debet, eum nusquam ad eorum auctoritatem provocasse. Cum tamen hoc neque a Livio, neque ab ullo alio scriptore factum esse videamus, nec Horatius vel uno verbo eorum mentionem faciat, ubi antiquissima latinae linguae monumenta recenset, Ep. II. 1. v. 23—27.:

Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum [5])
Dictitet Albano musas in monte locutas.

5) Volumina vatum explicat recte Schlegelius perscriptos pontificum libros; minime vero, ut Niebuhrius voluit, haec ad antiqua carmina referri possunt.

Niebuhrii de hac re sententiam ne speciem quidem verisimilitudinis prae se ferre, in oculos incurrit. Quam facile enim accidere possit, ut integer talis versiculus casu procusus in orationem longiorem irrepat, docet initium Livianae praefationis: „Facturusne operae pretium sim etc.“, docet etiam Tacitus, annal. I. 1.: „Urbem Romam a principio reges habuere“; testantur idem innumera apud veteres scriptores loca. Facillime autem tale quid in iis scriptoribus observari posse, qui, ut Livius, breviores et argutas sententias amant, atque in argumento mythico et vere poëtico versantur, in aprico est positum.

Quae cum ita sint, minime ad eorum sententiam accedimus, qui Romae Urbis incunabula solis Graeculorum figmentis deberi statuunt: neque vero etiam iis adsentiri possumus, qui omnem antiquiorem historiam ex continuo epico carmine profectam esse putant.

Sed si quaerimus, ex quibusnam fontibus historici primi de illa aetate tradita sua hauserint, quaestioni ita occurrendum putamus, ut apud Romanos duplici modo, traditionibus nimirum atque rerum literarumque monumentis, superiorum seculorum memoriam ad posteros traditam esse dicamus.

Omni historiae fide satis constat, artificium scribendi antiquissimo jam tempore Romae inventum, adeo regio aevo in usu fuisse (cf. Wachsmuth. Röm. Gesch. p. 1.): cum tamen simul appareat, antiquiori illo tempore scripturae haec initia, deficiente tum inprimis opportuna habilique materia, cui inscribi possent literae, exculta parum et tenuia admodum fuisse, nec facile quicquam praeter leges, acta publica aliaque, quae maximi momenti tum in rerum regimine esse crederentur, veluti prodigia, ostentaque [6]), quernis tabulis [7]), ligneis scutis [8]), deinde statuis [9]) cippis aeneisque tabulis [10]) insculpta, scripturâ antiquitus fuisse consignatum, non per literas solum remotioris antiquitatis notitiam propagari potuisse, verum plurima quoque, qui ore fiebant popularibus rumoribus deberi credamus necesse est.

6) Cat. ap. Gell. N. A. II. 28.

7) vid. Dionys. III. 36. χάλκεαι γὰρ στῆλαι (quales postea non solum tabb. XII. a Livio III. 57. sed et X. initio promulgatae a Dionysio X. 57. fuisse commemorantur, cf. Schottii Dissert. de mater. tabb. XII. Lips. 1765.) οὔπω τότε ἦσαν, ἀλλ' ἐν δρυΐναις ἐχαράττοντο σανίσιν; et IV. 43. τὰς σανίδας, ἐν αἷς ἦσαν γεγραμμένοι (οἱ νόμοι τοῦ Τυλλίου).

8) vid. Dionys. IV. 58.

9) Dionys. IV. 26. ἵνα δὲ μηδεὶς χρόνος αὐτοὺς (νόμους Servii Tullii) ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκῆν, ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τὰ τε δόξαντα τοῖς συνέδροις etc. cf. Sueton. Vespas. VIII. Plin. Hist. Nat. XIII. 11. Dionys. III. p. 174.

10) Liv. II. 33. IV. 7. 20.

Invaluerat de multis fama quaedam vulgaris, a mythica inde aetate per plurima secula continuata, mentibus hominum infixa et in sermonibus, orationibus atque carminibus memorari solita, patria adeo religione sancita confirmataque. Fama autem haec mythica, a veteribus credita, constans admodum et certa apud Romanos fuisse videtur, cum, ubi infantia historiae cum annalibus simul et rerum consignationibus mature coepit, mentiendi et temere comminiscendi occasio fraudulentis hominibus praecisa sit: mere autem et nude servata, atque ita fere a primis annalium scriptoribus exposita, fama haec ore veterum Romanorum viguisse videtur, donec sequiori tempore poëtae multa variarent, exornarent et hyperbolice exaggerarent, Graeculi autem, variis studiis ducti [11]), alia perverterent, fuco commentitio incrustarent, con-

---

11) Si de causis quaerimus, cur in fide Graecorum, qui Romanam historiam perscribere aggressi sunt, exploranda tam caute et circumspecte versandum sit, eae omnino repetendae videntur partim ex ipsorum temporum calamitatibus, sublata cum libertate veritate, partim ex communi seculorum indole. Graeci enim tum demum, cum ipsorum opes fractae, Graeca civitas confecta viribus ad se tutandum conversis esset, Romanae vero res e tenuibus initiis profectae summis incrementis auctae mox efflorerent, potentissimi populi rebus commentariis suis explanandis deesse noluerunt. Sed mirum quantum omnibus fere hujus aetatis Graecorum scriptoribus aliqua non dico labes, sed color quidam aspersus est, non quidem ille ingratus et insuavis, sed quodammodo dilutus et tenuis, quaesitus tamen et operose arcessitus, nec germanam Graeciam referens, neque Attica simplicitate imbutus. Habent quidem multi scriptores suam elegantiam, amoenitatem, et miramur adeo in nonnullis atque laudamus orationem tersam, nitidam et elegantem, sed omnes fere argumentum quoddam tenue et subtile sectari videre possis; et quae ejus seculi multo etiam notabilior indoles est, mirum aliquod multae variaeque doctrinae et eruditionum gregis inprimis fabularum atque historiae antiquae studium omnia ingenia occupasse videas, quod etiam inepte ostentare, gloriamque intempestive captare dicas. Curiosi esse malunt, quam ingeniosi. Itaque argumenta etiam operum ex antiquis fabulis aut ex subtili disciplina eos petere, tum ex iis, qui adhuc exstant, libris, tum ex deperditorum indicibus cognoscas. Incessit cum hoc antiquae historiae et fabularum amore, omnino res novas, mirabiles et peregrinas cognoscendi et tradendi studium; atque ipsos historicos aut fabulas antiquas et urbium populorumque origines aut res admirandas et ejusmodi alia composuisse legimus. — Sed grammatica illa eruditio primas corruptelas severioribus literis tum attulit: grammatica enim subtilitate ingenia attenuata et in angustum coarctata ad minutias et inanes argutias deducta sunt, ut de multis valeret, quod de Herodiano Alexandrino Ammianus ait, fuisse eum artium minutissimum sciscitatorem. In quibus minutiis explorandis, caussisque rerum inanium exquirendis, cum haererent animi, attritis viribus ad magna et ardua assurgere non poterant; studium subsistebat in ingeniosis lusibus aut doctae et obscurae quaestionis solutione; inde in iis nihil sublime, celsum et generosum. Studium autem illud antiqua et minus vulgo nota tradendi, eos vel maxime invasit, qui historias perscribebant, ut partim in antiquis mythis haererent, partim mirabiles historias venarentur, utque, dum materiem anquirerent idoneam, externarum gentium et terrarum res perscriberent. Illud vero narrandi genus, quod rerum actum, causas et opportunitates ita persequitur, ut prudentia vitae inde hauriatur, quod jam in Polybio magna ex

fingerent multa ac consiliis suis accommodarent. Admovenda igitur in his est critica manus, ut, quantum certe fieri potest, adscititius ille fucus genuinis Romanorum mythis abstergatur, Graeculorum poëtarumque corruptelae omnis generis illi constanti admodum famae illatae detegantur, horum vafra commenta cognoscantur et in luce collocentur.

Livius innuit haud raro illam vulgarem famam; in primo autem sui operis libro maxime eam secutus, saepius ad eam provocat. Circa Urbem condendam exhibet vulgarem famam, a Fabio quoque jam expositam, unde mirus Livii cum Plutarcho consensus. — Lib. I. 49., ait Livius: „Si famae credimus." Lib. VII. 6.: „Fama rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem." Falluntur tamen Bellofortius (Dissert. sur l'incertitude de l'histoire Rom. des cinq premiers siècles, à la Haye 1750) et Meierotto (Dissert. de Livii fide, Berol. 1796), qui Livium, quum dicat se famam sequi, hanc omnibus historicis opponere putant, eumque ut negligentem et famae credulum accusant. Vocat enim ita aut mythicam historiam I. 49. aut vulgatam hominum narrationem XLII. 45. I. 16., ab historicis quoque jam expositam et proditam XXIII. 20. XXIX. 21. XXXII. 12., ubi fama, quae vero sit proprior, quorundam scriptorum narrationi opponitur. Sed Livii temporibus populares illos rumores de multis rebus admodum jam variatos et perversos fuisse, id colligas partim inde, quod apud aequales fere scriptores de iisdem rebus saepe tam diversa prodita legimus, partim ex ipsius Livii verbis passim appositis, velut I. c. 7. „vulgatior est fama." II. 32. „et frequentior fama est." — et in recentiori historia lib. XXII. 12. „Fama tenuit, quae vero pro-

---

parte ad sententias et locos communes redit, ut hominem agnoscas cogitatione potius, quam actione in rebus gestis versatum, vix aliquo auctore insigniore commendatum fuit. Sed quod gravius est ferendum, in Romana historia concinnanda adulatoriae adeo artes multos Graecorum scriptores eo adduxisse videntur, ut gratiam et assensum nobiliorum Romanarum gentium sibi conciliandi causa varia falsaque comminiscerentur, et ad meliora praecessorum suorum exempla proposita plane caecutientes et adspectum quasi refugientes in figmentis oratoriaque exornatione scribendi finem collocarent, neque eo loco se constitutos esse meminissent in historiis scribendis, quo probitatis suae ac sanctitatis cum veri studio experimenta ad omnem posteritatem proponunt, dum et testis et judicis integritatem ac fidem pollicentur. Si quis autem corruptelas diversi generis cognoscere voluerit, si artes adulantium Graecorum, tortuosos in gratiam Romanorum irrepentium meatus et cuniculos, blanditiarum vafra commenta, si quis, inquam, haec voluerit tanquam in tabula proposita cognoscere, is adeat Dionysii Halicarnassei libros. Hunc adeo totum in eo esse videmus, ut Romanos suis gentilibus stirpe ac genere conjunctos esse (I. p. 15.), religiones etiam et civilia instituta aliaque a Graecis Romam transmigrasse ostendat, quicquid ex mythis Troicis atque Hellenicis in usum suum convertere posset, avide arripiens. cf. Wachsmuth. p. 44 sqq.

pior est.“ XXIII. 20. „obscurior fama est.“ XXIX. 21. „duplex fama est.“ XXV. 16. „Haec vera fama est.“ 17. „Varia est fama“ etc.

Cum autem, quod in humana natura omnino est positum, ut sensuum, affectionum animi ac commotionum multo maturior in pueris oratio aliqua sit, quam rationis et intelligentiae, idem fere mire accidat in populis rudibus necdum ad culturam progressis, ut poëticae cujusdam orationis antiquior, quam vulgaris sit ortus, ut cantu veterum rumores vigerent, carminibus propagarentur majorum res, quid mirum? si idem fere et inter Romanos factum esse videmus, ut canticorum ope multi rumores servarentur. Cantus enim inter omnes fere antiquissimas gentes, rudiores quidem illi et dissoni, a quibus tamen facile ad numeros certos modosque res deducitur. Vates exstiterunt apud eas, qui mythos confusos et mixtos fundum suae poëtices et carminum argumentum facerent, iisque adeo suavitatem, copiam varietatemque miram affunderent. Tales vates iis vixere temporibus, quibus vitae priscae vestigia necdum omnia evanuerunt, sermo autem nondum ad subtiliorem rationem compositus, non tam falsa fingendi, quam vera aut pro veris accepta, rerum verborumque figmentis exornandi, licentiam non modo praebebat, sed etiam requirebat. Itaque nullus facile barbarus populus aut est aut unquam fuit, qui non carmina sua haberet, quamvis incondita et horrida, quibus seu laetos seu tristes casus persequeretur, in coetibus seu publicis seu familiaribus cantu modo fortunas suas ac facta resque gestas modo majorum suorum ac fortium virorum laudes, bella ac proelia victoriasque celebrans, tum si ad ullum aliquem vitae meliorem fructum processisset, ea, quae ad religiones et vitae instituta pertinerent, commemoraret. Romanos etiam antiquissimis temporibus jam habuisse sua carmina, diserte tradunt veteres scriptores: nec satirica solum poëmata, quorum licentiam jam tabb. XII. coërcuisse Cicero narrat (Tusc. Quaest. IV. 2.), sacrorumque carminum multitudo, sed historicae quoque cantilenae multae apud eos fuerunt, quarum magna pars decursu temporis periit. Dionysius pluries commemorat *πατρίους ὕμνους, ᾠδὰς πατρίους*, I. 79. „*ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται.* cf. c. 31. II. 34. 70. III. 32. XI. 9. VII. 58. et 7. VIII. c. 17. 2. 62. 11. 36. Quae tamen loca minime ad longiora et continua epica carmina, neque etiam ut Lachmannus injuste opinatur (in Comment. de Livii fontibus, Gotting. 1826) ad sacras tantum cantilenas, jocularia militum carmina et triumphalia carmina referri possunt. Obtinuit enim et inter Romanos ab antiquiori inde tempore mos, majorum et fortium virorum memoriam cantu

celebrandi: id quod scimus auctore Cicerone [12]), et testantur Valerius Maximus (II. 1. 10.), Horatius (Carm. IV. 15.). Utrum omnes ejusmodi cantilenae Augusteo adhuc aevo exstiterint, valde in dubium vocari debet. Cato enim et Varro de more jamdudum antiquato loquuntur, et Cicero (Brut. 19. Tuscul. I. 2. IV. 2. cf. de Legg. II. 24. 62.) ubique ad Catonem auctorem rem defert, neque Horatius ea inter vetustissima quae supersint linguae latinae monumenta recenset. Ut autem exstiterint adhuc, cum ea, quae carminibus illis propria erant argumenta, jam a primis annalium scriptoribus, quos recentiores historici auctores et duces secuti sunt, exposita essent, Livium et Dionysium aliosque, his cantilenis tanquam praecipuo fonte usos esse minime credibile est.

Si vera sunt, quae adhuc diximus, antiquior Romana historia magna ex parte a popularibus rumoribus processit, quorum multi quoque carmine inclusi ad posteros pervenisse videntur. Inde nec miraberis, in iis, quae de illa aetate traduntur, esse multa, quae speciem carminis prae se ferant, praesertim cum etiam sequiori tempore multa a poëtis atque pedestribus scriptoribus iterum atque iterum retractata poëtice exornarentur. Cum tamen et in alia incidas plurima ab omni poëtico fuco plane aliena et minus carminibus, quam temporum elenchis et exilibus rerum consignationibus accommodata, alius praeterea Romanae antiquitatis fons non exstitisse non potest.

Fuerunt autem haec rerum monumenta historicorum aetate priora. Cum artificium scribendi Romae mature jam inventum et in usu fuisse inter omnes constet, infantia Romanae historiae non, ut Graeca, e solis mythicis et poëticis elementis et originibus processit, sed ab annalibus simul et exilibus rerum consignationibus, quibus mythicae traditiones de antiquissimis temporibus accedebant, profecta est. Quae cum ita sint, ut ab antiquo inde tempore Romani rerum memoriam per literas ad posteritatem tradere studuerint, fieri non potuit, quin etiam successu temporis haud exigua literarum copia Romae coacervaretur: id quod etiam ex innumeris illis a veteribus scriptoribus allegatis monumentis colligere possumus. De quibus tamen literarum monumentis priusquam ulterius videamus, ea quaestio se oggerit exagitandam, utrum antiquae illae literae genuinae an spuriae ad historicorum aetatem pervenerint, an Urbe a Gallis incensa omnes interierint. Quae quidem res viros doctos haud parum male habuit, nec non in dissidia judiciorum traxit. Si de hac re

12) Cic. Brut. c. 19. et Tusc. I. 2. IV. 2., ubi dicit: »Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes et virtutes.«

Niebuhrium audimus, paucissima tantum ex illo Romano incendio evaserunt monumenta, post restauratam vero Urbem a pontificibus alia denuo condi coepta in deperditorum locum substituta sunt. Nieb. I. p. 277. Innititur haec Summi Viri sententia potissimum auctore Livio, qui tale quid tradit, et saepenumero de nimiâ superiorum seculorum obscuritate et maximâ rerum monumentorum penuriâ queritur. Juvabit ipsius audire querelas, quas ad modum frequenter libris suis immiscuit. Lib. VI. 1. „Res“, inquit, „exposui quum vetustate nimia obscuras, velut quae magno ex intervallo loci vix cernuntur; tum quod parvae et rarae per eadem tempora literae fuere, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum; et quod, etiamsi quae in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa Urbe pleraeque interiere.“ Easdem querimonias aliis in locis identidem iteravit. Lib. II. 21. ait: „Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut, nec qui consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate, non rerum modo, sed etiam auctorum, digerere possis.“ V. 21.: „Inseritur huic loco fabula: — Sed in rebus tam antiquis, si, quae similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habeam.“ VII. 6.: „Cura non deesset, si qua ad verum via inquirentem ferret: nunc fama rerum standum, ubi certam derogat vetustas fidem.“ Deinde Clodius quidam apud Plutarchum in Vit. Num. 1., ubi de genealogicis commentariis et fabulis agitur, tradit, temporum ordinem plane esse incertum, cum vetusta acta in Urbis incendio a Gallis abolita, recentia vero in gratiam nobilium familiarum plane conficta sint. Verba autem Plutarchi sunt haec: „*Ἀλλὰ Κλώδιός τις ἐν ἐλέγχῳ χρόνων (οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον) ἰσχυρίζεται, τὰς μὲν ἀρχαίας ἐκείνας ἀναγραφὰς ἐν τοῖς Κελτικοῖς πάθεσι τῆς πόλεως ἠφανίσθαι, τὰς δὲ νῦν φαινομένας οὐκ ἀληθῶς συγκεῖσθαι δι᾽ ἀνδρῶν χαριζομένων τισὶν, εἰς τὰ πρῶτα γενη καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους οἴκους ἐξ οὐ προσηκόντων εἰσβιαζομένοις.*“ Sed quod hîc tradit Clodius, recentia fere in gratiam nobilium gentium esse conficta, id minime ad cetera literarum monumenta respicere potest, sed potius de alio quodam veterum scriptorum fonte, de familiarum commentariis vel de funebribus laudationibus, quibus Cicero et Livius pluribus in locis depravationem antiquae historiae tribuunt, quo tamen fonte Plutarchus usus est, dictum esse luculenter apparet. Perperam igitur is Clodius, de cujus neque aetate, neque libro satis certo nobis constat [13]), praeter alios a Bellofortio

13) Vide sis, quid Heerenius (in Commentationum quatuor de fontibus et auctoritate Plutarchi tertiâ), et Vossius (de Hist. lat. p. 35.) de hac re statuant, quorum tamen prior verum vidisse mihi videtur.

adhibetur non solum ad omnium monumentorum, verum adeo totius antiquioris historiae fidem convellendam atque labefactandam. Ut enim longe plura, ut adeo universa incendio hoc absumta forent, quod ne cogitari quidem potest, non propterea omnis antiquitatis memoria plane periisset; neque enim ejusce temporis homines memoriam usque adeo omnem amiserant, ut nec ipsi, penes quos non modo legendi, sed etiam scribendi et conservandi annales jus erat, non bona ex parte instaurare et resarcire eosdem possent. Et credibile est, vicinis quoque oppidis, quae sunt Veji, Caere, Antium, suos fuisse annales, qui multa cum Romanorum gestis communia haberent: his vero priscos diligentes talium monumentorum indagatores, Cincium, Catonem, alios uti potuisse, quid est, quod dubitemus. Verumenimvero Romae quoque multa antiqua monumenta incendium illud superavisse, et genuina historicorum aetatem attigisse, optimo jure statui potest. Nam etiamsi Urbs deleta fuerit, arx tamen non capta est: in arce vero monumenta publica velut foedera et procul dubio annales publici in tabulario repositi erant. Et quid obstat, quominus singularem hominum curam multas etiam privatas literas tum superstites fecisse credamus. Injuste enim Livii querimoniis tantum tribuitur, quantum Bellofortius et alii fecerunt. Nam profecto si libros Plinii, Dionysii aliorumque veterum scriptorum tot diversique generis monumenta commemorantium perlustraveris, facile tibi persuaderi patiaris, tantam non fuisse penuriam, quantam vulgo apud Livium jactari audias. Probabile est enim, Livium, de veritate historiae suae ceterum non securum, aut facultate fuisse destitutum, sensum rerum antiquâ scripturâ consignatarum eruendi, eliciendi et interpretandi, hancque criticam rationem tantum non ignorasse, aut huic molestissimo labori vacare noluisse [14]). Quod enim aliis quoque hujus aetatis scriptoribus accidit, ut ad praesentiam eaque, quae ipsorum aetati propiora erant, magis jam vergerent, in superiorum autem seculorum rebus explicandis et enarrandis morari et otium suum consumere nollent, unde factum est, ut

14) Fuerunt Vv. Dd., qui ad Livium excusandum praeter alia afferrent, quod priores X. libros, antequam ad Urbem accessisset, Patavii scripserit, quod nuper admodum Chr. Kruse (in Commentationum duarum de fide Livii priore p. 46 sq.) fecit. Sed haec refellere jam studuit Lachmannus (in Commentat. Ima de fontibus Livii), qui ita fere iis occurrit, ut ostendat, Livium pugnae quidem Pharsalicae tempore Patavii commoratum esse (teste Plutarch. Caes. c. 87.), tamen jam a. u. 725, cum Janus ab Augusto clauderetur, Romae fuisse (I. 19.); sed ante a. 727 non scripsisse, quum Octavianum semper Augustum vocet (I. 19. IV. 20. etc.), quo cognomine hoc demum anno a. d. XVII. Calend. Febr. (cf. Fogginium ad Verrii fastos p. 12 sq.) ornatus sit. — cf. Lachm. l. l. p. 15.

pars antiquiora strictim et summatim attingerent, alii procemii loco librorum exordiis praefigerent: id ipsum in Livio factum videre possis. Hinc obscuram regum aetatem uno eoque brevissimo libro, longius illud temporis spatium ab initio reipublicae liberae usque ad bella cum Pyrrho gesta decem libris subsequentibus complexus est, ut plus CXXX libros iis, quae suae aetati proxima essent, tradendis impendere posset. Quantopere autem Livius seculi sui genio libans ab omni rerum monumentorum usu abhorruerit, id vel hoc uno exemplo satis declarari potest, quod ne ea quidem, quae apud alios scriptores invenire poterat, diligenter satis conquirere curavit, adeo ne gravissimum quidem illud monumentum novisse videtur, quod Romae de nobilissimis illis foederibus exstitit, quae inter Poenos et Romanos inita propitio aliquo fato in Polybianis reliquiis ad nostra tempora servata sunt (Polyb. III. 22.). Quod tanto magis mirationem facere debet, cum in ceteris multis Livius Polybium auctorem ita secutus sit, ut semper fere inter angustos interpretis limites se contineret, et innumera loca ex Polybianis libris ad verbum exprimeret. Quae omnia hic apponere, ut comparatione instituta cum auctore sententiam nostram adjuvent, superfluum esse videtur. cf. Polyb. VI. 26. cum Liv. XXVI. 36. — Polyb. X. 27. c. Liv. XXVIII. 26. — Polyb. XI. 30. c. Liv. XXVIII. 29. — Polyb. XIV. 1. c. Liv. XXX. 3. — Polyb. XIV. 4. c. Liv. XXX. 4. — Polyb. XIV. 8. c. Liv. XXX. 8. — Polyb. XV. 16. c. Liv. XXX. 35. — Polyb. XV. 18. c. Liv. XXX. 37. — Polyb. XVII. 1. c. Liv. XXXII. 36.: haec omnia loca primo adspectu ad fontem, unde profecta sunt, ad Polybianos libros nos reducunt.

Quae cum ita sint, haud recte inde, quod Livius talia monumenta non contulit, ea non superfuisse cum Bellofortio et aliis concluseris. Largiamur autem, ex iis quoque, quae Urbe incensa in Capitolio aut a sacerdotibus servata erant, aut hac clade seriora sunt, nonnulla etiam post Polybium interiisse, deflagrato capitolio, in quo per totum templum in parietibus et aris fixae erant tabulae (Liv. VI. 4. Gellii Noct. Att. VI. 7.), atrio Libertatis, in quo antiquae leges et tabulae servabantur (Fest. v. probum), denique aede Nympharum a Clodio quodam incensa (Cic. pro Milon. 27. et de Nat. Deorum III. 30.), plurima tamen ad primos annalium scriptores pervenisse, multa etiam vel Macri et Tuberonis vel Augusti etiam tempora attigisse satis constat, nec solum regum et magistratuum leges (Dionys. IV. 62.), libros censorios, statuas quasdam etiam cum elogiis (Dionysius plurib. in locis), inscriptiones, ut antiquam illam (Plin. XVI. 44.),

tabulas triumphales, sed etiam, quae maxime ad historiam spectant, foedera, veluti Latinum, Gabinum, Sabinum, quae neglexisse Livio valde obfuit: et Suetonio teste [15]) postea in Capitolio deflagravit instrumentum imperii pulcherrimum et vetustissimum, quo continebantur paene ab exordio Urbis SCta et alia (Quintil. VIII. 2. cf. Nieb. I. p. 175. Wachsmuth. p. 2.). Sed ulterius videamus, quantum certe per angustias spatii licet, de monumentis ex antiquitate servatis. Nam vix dubium moveri potest, num eo tempore, quo primi historici inclaruerunt, quaerentibus monumenta genuina defuerint. Livius ipse, passim valde ad speciem diligentis et accurati antiquitatis investigatoris adspirans, pluries antiqua monumenta allegat, quanquam ea nonnisi ex annalium scriptoribus, quos auctores sibi eligendos putavit, cognovisse videtur. Hoc certe fatendum est de tabula aenea in aede Castoris Romae fixa, VIII. 11., quam ei innotuisse verisimile est vel ex Quinto Claudio Quadrigario, quem c. 19. nomine citat, vel ex Fabio Pictore, quem etiam in hoc libro auctorem secutus est, et nomine citat c. 30. Idem valet de Foedere Neapolitano VIII. 26. et de Formulis in foedere inter Romanos et Albanos ante pugnam Trigeminorum icto I. 24. — Lib. II. c. 14. agit Livius de Foedere Porsenae, de quo monumento conferes Tacit. Annal. III. 72. et Plin. H. N. XXXIV. 14. Quae tamen loca Bellofortium l. l. II. 7. et Wachsmuthium l. l. p. 3. non accurate inspexisse recte suspicatur Lachmannus l. l., cum de foedere Plinii et Taciti temporibus superstite cogitent. Lib. II. 33. Livius adhibet Columnam aeneam, in qua Foedus cum Latinis insculptum erat, ad annalium narrationem corrigendam. — Ex tabulis triumphalibus, quarum plures supererant (Fest. v. navali) Quinctii tabulam VI. 29., quam Cincius ipse vidit (Fest. v. Trientem), ejusque argumentum breviter attingit. Utrum Aemilii tabulam (XL. 52.), quae Attilii Fortunatiani tempore exstabat, ipse viderit, an hujus et Sempronianae (XLI. 28.) argumentum ex annalibus cognoverit, incertum est. — Quod lib. IV. 7. exstat foedus cum Ardeatibus ictum, Livio notum fuisse videtur e Licinio Macro, quem in hisce ducem secutus, nomine citat. — Lib. VII. 3. affert Livius Legem vetustam, priscis literis verbisque scriptam, ut, qui praetor maximus sit, Idib. Septembr. clavum pangat. „Fixa fuit, inquit, dextro lateri aedis Jovis optimi maximi, ex qua parte Minervae templum est.

15) Suet. Vespas. 8.: »Aerearumque tabularum tria millia, quae simul conflagraverant, restituenda suscepit undique investigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum, quo continebantur paene ab exordio urbis senatusconsulta, plebiscita de societate et foedere ac privilegio unicuique concessis.«

Eum clavum, quia rarae per ea tempora litterae erant, notam numeri annorum fuisse ferunt: eoque Minervae templo dicatam legem, quia numerus Minervae inventum sit." Secutus est Livius in his Cincium, quem paullo post nomine citat. Lib. IX. 5. Livio vetus monumentum, quod de Foederibus inter Romanos et Samnitibus ictis exstitit, ex annalibus innotuit. — Dionysius porro memorat I. 74. tabulam aliquam, in qua annus Urbis Conditae consignatus sit; cf. Wachsmuth l. l. p. 3. — II. 55. mentionem facit pacis cum Vejis columnae incisae, quod monumentum ad sua usque tempora perduraverit. Wachsm. p. 4. — Lib. IV. c. 26. commemoratur antiquum illud monumentum, quod de Foedere inter Romanos et Latinos icto Romae exstitit [16]; IV. 58. Foedus Gabinum (cf. Fest. v. Clypeus) [17], III. 33. Foedus Sabinum, id quod Horatius innuit Ep. II. 1. 24. [18]. Accedunt his gravissima illa Punica foedera, quorum mentio exstat apud Polybium Lib. III. 22. Polybius enim, ubi in causas belli ab Hannibale in Romanos moti inquirit, ut calumnias in Romanos jactas, acsi cum Poenis pacti essent ab initio, ut hi Italia, ipsi Sicilia universa abstinerent, refellat, eo descendendum sibi esse videt, ut, quotquot inter utrumque populum foedera perscripta essent, omnino repeteret. Imprimis cum natu etiam maximis et rerum patriarum callentissimis ea passim ignota essent, inspecta tamen a se diligenter in tabulis aeneis in Aerario Aedilium ad Capitolinum Jovem servatis, et interpretata, quantum intelligitur, amicorum opera adhibita, quandoquidem veteris sermonis Romani ipse monet tantam esse diversitatem, ut vel peritissimi nonnulla vix intentione animi summa explanare possint [19].

---

16) Dionys. IV. 26. »Καὶ τοὺς νόμους συνέγραψε (Serv. Tull.) ταῖς πόλεσι πρὸς ἀλλήλας, καὶ τἄλλα τὰ περὶ τὴν ἑορτὴν καὶ πανήγυριν, ὃν ἐπιτελεσθήσεται τρόπον ἔταξεν. ἵνα δὲ μηδεὶς χρόνος αὐτοὺς ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκῆν, ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τά τε δόξαντα τοῖς συνέδροις, καὶ τὰς μετασχούσας τῆς συνόδου πόλεις· αὕτη διέμενεν ἡ στήλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ κειμένη, γραμμάτων ἔχουσα χαρακτῆρας ἑλληνικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρῆτο.«

17) IV. 58. »Τούτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσιν, ἀσπὶς ξυλίνη βύρσῃ βοὸς περίτονος τοῦ σφαγιασθέντος ἐπὶ τῶν ὁρκίων τότε βοός, γράμμασιν ἀρχαϊκοῖς ἐπιγεγραμμένη τὰς γενομένας αὐτοῖς ὁμολογίας.«

18) Horat. Ep. II. 1. 24. »Foedera regum | Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis.«

19) Polyb. III. 22. 26. — Caeterum ad bellum Punicum II. sexies vel septies omnino foedus inter Romanos et Carthaginienses ictum constat. Juvabit adscripsisse singulorum foederum tempora: I. Foedus ictum U. C. 245. eo ipso anno, quo Romani regibus ejectis libertatem recuperarant. — II. U. C. 406. — III. U. C. 448. — IV. Sub Pyrrhi in Italiam trajectum: is factus U. C. 473. — V. Bello Punico Imo finito U. C. 512. — VI. U. C. 516. — VII. U. C. 526., facta cum Asdrubale in Hispania pactio, ne belli causa Iberum amnem transirent Poeni.

Sed allegantur praeter haec antiqua monumenta ex regio aevo Commentarii qui dicuntur Regum. Ex his Servii descriptionem Centuriarum et Classium Augusteo adhuc aevo superfuisse Valer. Flacc. testatur (cf. Fest. v. pro censu et procum p. 283 et 287.), Livium inde hausisse nullo loco apparet, quanquam I. 60. de Servii Commentariis loquitur (cf. Nieb. I. p. 282.). Servii leges de Sacr. Pagan. ad Dionysii aetatem perdurarunt (Dionys. IV. 15. ὧν (τύπους) ἔτι διὰ φυλακῆς ἔχουσι Ῥωμαῖοι). Num libri Numae, anno 573 inventi, genuini sint, recte dubium movet Wachsmuthius l. l. p. 5. De his in Numae historia prolixe exposuerant Piso (Plin. H. N. XXVIII. 2.), Antias (Plut. Num. I. 22.), Cassius Hemina (Plin. l. l.); Livius attingit eos in morte Tulli; fusius agit de iis XL. 29. ubi Antias citatur.

Porro commemorantur Leges regiae, quas a XII. tabb. diversas fuisse, et magna ex parte incendium Romanum superasse testatur Livius VI. 1. Quanquam is neque has neque leges tribunicias ipse inspexit, sed ubi legum argumenta subinde memorat, ea ex annalibus, ut alicubi ipse indicat, hausit. Hi ubi destituunt, ipse tacet, aut non accurate loquitur (ut de Legibus Liciniis, quas nunquam vidisse videtur; de Icilia, quam de publicando Aventino latam non recte dicit III. 31., cum tamen haec ipsa columnae aeneae inscripta in Dianae templo superesset, unde Dionysius X. 32. accurate legis argumentum affert: ut de foedere cum Latinis populis icto, cujus formulam debemus eidem Dionysio (VI. 95. cf. Lachmannum l. l. p. 12.). An leges Regum, a Festo, Plinio aliisque memoratae, literis consignatae ad posteros pervenerint, vix in dubium vocari debet, cum eo tempore jam in usu fuisse satis constet, ejusmodi res literis mandare, necnon ipsa legum verba saepe afferantur, cf. Plin. H. N. XXXII. 2., Fest. v. Occisum. Imperatorem Claudium scriptas leges Tullii Hostilii ante oculos habuisse, concluseris ex Tacit. Annal. XII. 8.

Exstiterunt porro Commentarii pontificum, qui in mythis exponendis prolixiores, in Coss. historia breviores fuisse videntur. Cf. Wachsm. p. 7.

Libri lintei, a quibus Livius IV. 7. accurate distinguit libros magistratuum [20]), monumentum publicum [21]) in aede Junonis Monetae a duumviris, ut videtur, servatum, ad aetatem historicorum perdurarunt. Macer enim et Tubero iis usi erant, quanquam Livius se inspicere eos non potuisse dicit IV. 7. 23.

20) Fortasse et c. 13. legendum est: quosque linteos i. e. et quos. cf. Wachsm. p. 17.

21) Plinius quidem privata monumenta linteis confici dicit, H. N. XIII. 11., sed (cf. Symmach. IV. ep. 34.) commemorantur etiam leges in linteis mappis scriptae per omnes Italiae civitates proponendae.

Fasti s. Libri Magistratuum a Licinio adhibiti videntur (cf. Livium IV. 7.). Pertinent ad hos tabellae Censorum (Varro de Ling. Lat. p. 74. ed. Bipont. Liv. XLIII. 16.), τιμητικὰ ὑπομνήματα apud Dionys. IV. 22. cf. I. 74., Commentarii consulares (Varro l. l. p. 75.) et Commentarii Quaestorum (Varro l. l.). — Livius eos magis ad usum suum, quam ad testimonium in dubiis rebus habendum adhibuisse videtur: affert eos IX. 18. „paginas in annalibus magistratuum fastisque percurrere licet"; fortasse etiam IV. 7. 13. cf. 39. 52.; et in ducum recensu IX. 17. atque cum notatus esset in iis annorum ab U. C. numerus, quem annales non addere solebant, in iis etiam locis, ubi aut annos computat, aut iteratorum magistratuum numerum affert (e. c. III. 71. IV. 7. V. 29 et 54. VI. 54.) eos inspexisse videtur.

Sed majoris omnibus illis momenti atque praecipuus historicorum fons fuisse videntur Annales illi Maximi, quorum origo inde ab initio fere Rerum Romanarum repetenda est. Habet enim Cicero de iis haec (de orat. II. 12.): „Memoriae publicae retinendae causa ab initio rerum Rom. usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: hique etiam nunc annales Maximi nominantur." — Conferat, cui cordi sit uberius de iis edoceri, quae attulerunt Vv. dd. Niebuhrius I. p. 177. Wachsmuthius p. 9 sqq. Vossius (de Hist. lat.) Lib. I. c. 1.

Restat tandem alius Romanae antiquioris historiae fons, familiarum commentarii [22]), et quae cum his non confundendae sunt (Gell. XIII. 19.), laudationes funebres [23]), quibus Dionysium et Plutarchum usos esse scimus (cf. Heeren de fontib. et auct. Plut.). Sed haec scripta, sicut omnia fere

22) Inter Patricias enim gentes vix ullam fuisse, quae non suos mythos de majorum rebus praeclare gestis, de imperiis, quae obtinuerant, de triumphis, quos egerant, de magistratibus denique, quos gesserant, habuerit, quaevis fere pagina historiae Romanae probat. Quid autem erat, quo scriptores et Graeculi praecipue, in aedes nobilium Romanorum recepti, magis gratiam gentium, in quas admissi erant, ac patronorum suorum aucupari possent, quam commentariis ad laudem gentium illarum compositis! Periere quidem illa scripta, quod non admodum dolendum, una cum nominibus auctorum: multa tamen, quae in iis tradita erant, in historiam Romanam irrepsisse, ipsa historia docet.

23) Romae in republica libera ab antiquissimis inde temporibus habitas esse in principum funere sollenni laudationes ex more legimus apud Polybium VI. 54. Sub imperatoribus vix memorantur aliae, quam ab ipsis principibus habitae: Augustus laudavit pro rostris Marcellum et Drusum, et Octaviam sororem; Augustum Tiberius, hunc Cajus; Claudium Nero; idem Poppaeam uxorem; Titum Domitianus, Pium M. Aurelius; alii alios: privatorum laudationes tum raro.

privatim servata monumenta corruptionibus multo magis exposita, et exigua tantum fide digna, aspernati esse videntur primi annalium scriptores; nullum certe adest vestigium, eos hoc fonte usos esse, cum etiam Livius, illorum fere exscriptor, non sine indignatione illius fontis mentionem faciat VIII. 40. et Cicero plus semel summam antiquae historiae depravationem inde exortam esse diserte tradat (cf. Brut. 16.). Nam etiamsi orationes veterum Romanorum funebres omnino vix supersunt ullae, luce tamen clarius apparet, cum ad laudes defunctorum avi celebrarentur, de suae quisque maxime gentis gloriola sollicitus esset, majorum memoriam haud parum in iis fuisse vitiatam, praeclara facta exornata, ampliora reddita et magnificentiora, communia quaevis et vulgaria in majus elata, hyperbolice exaggerata, fuco commentitio incrustata; id quod cum ipsa rei natura nos docet, tum diserte testantur veteres scriptores (Plin. H. N. 35. 2. Liv. VIII. 40.). Nulla enim hic mentiendi et comminiscendi occasio erat praecisa. Quid ergo mirum? si inde tot variae corruptelae in antiquiorem Romanam historiam irrepserunt, inde tot genealogiae confictae falsaque stemmata exorta sunt, per quae principum et nobilium gentium origines ab ultima antiquitate, a Diis adeo aut Heroibus ducerentur. Ut ex innumeris pauca tantum enotemus, in mentem venit Mamiliae gentis, quae ortum suum traxit a Telegono. Confer de Trojugenis Juvenal. Sat. I. 100. Succurrunt etiam, quae poëtico more exornata scriptores veteres de Fabia gente tradunt (cf. Liv. II. 45. Ovid. Fast. II. 235. Sil. Italic. II. 3.). Ea enim ab Hercule originem suam derivavit (Plut. Fab. 1.). Omnino hanc gentem tanto cum splendore laudum et honorum per omnem historiam Romanam exhibitam videmus, ut, licet ditissima fuerit summis in quovis genere viris et rebus memoria dignissimis, tamen haud minimam hujus exaggerationis partem turbulentis fontibus deberi, et Fabiorum res gestas per Fabiorum commentarios, fortasse etiam per funebras orationes 24) propagatas, et ornatius expositas in historiam irrepsisse recte suspicemur. — Sed rem exemplis illustrare, cum omnis historia iis sit feracissima, vix operae erit pretium. Plura id genus dedit Blum: Einleitung in Roms alte Geschichte. p. 71.

Cum tandem populo Romano contigisset, ut historicos suos a seculo inde ab U. C. sexto nancisceretur, ex iis fere, quos indicavimus, fontibus superiorum seculorum notitia haurienda erat. Erant autem primi hi historici omnes

---

24) Plutarchus legit orationem funebrem, qua Fabius Max. filium suum laudavit; et quam in publicum edidit (Plut. Op. I. p. 675.). In ea multa de gentis historia exposita esse, dubitari nequit. cf. Heeren l. l.

continuorum annalium scriptores, et, ut Ciceronis (de Orat. II. 12. de Legg. I. 1.) verbis utar, non exornatores rerum sed tantummodo narratores: in multis populares rumores a majoribus acceptos secuti, neonon antiquis rerum monumentis usi. Quanquam judicium de iis satis exploratum ferri nequit, quandoquidem ex omni eorum numero nullus nostram aetatem attigit, nisi quod manibus terimus ea, quae ex ipsis hausta sunt. Arripuit enim post ex his ea, quae maxime probaret, Livius, alia Dionysius, Plutarchus alia, saepe dissona et discrepantia, eaque suo quisque more tractarunt ornaruntque. Sed tantum certum est, primos illos annalium scriptores, quales sunt Q. Fabius Pictor, M. Cato, L. Cincius Alimentus, L. Calpurnius Piso, nude, religiose, magna cum fide, candore et simplicitate, a Graecorum levitate necdum corruptos, quanquam Graecarum literarum haud ignari essent, eventa resque gestas enarrasse, a partium autem studio historiaeque exornandae cupiditate remotiores, nec antiquitate solum rebus gestis propiore, verum etiam bellicarum civiliumque rerum usu et experientia multis recentioribus scriptoribus longe praestitisse. Quanquam enim minime diffiteri volumus, sequiori tempore historiae scribendae studium egregie apud Romanos effloruisse, praestantissima ingenia in eo se exercuisse (Cic. de orat. II. 12. cf. Wachsm. l. l. p. 29. Heeren Comm. IV.), tamen antiquissimam historiam accuratius perscribendi, antiqua rerum monumenta indagandi et adhibendi studium successu temporis et maxime sub interitum reipublicae liberae defecisse videtur, cum, ut supra jam diximus, eo tempore scriptorum ingenia ad res praesentes nimis jam essent intenta et in rebus antiquis et obscuris enarrandis et exponendis ignobilem operam tum collocare nollent. Invaluit autem inde tunc potissimum mos, scribendi historiam sui aevi, quo omnino illud lucramur, ut et certissima et accuratissima rerum memoria posteris tradi possit.

Sed intra hos jam limites subsistamus. Sufficiat, summatim tantum et per rerum capita attigisse argumentum tot tantasque partes continens, quod omnibus numeris absolvere velle, res esset scriptionis hujus cancellis parum accommodata. Verum cum de Dionysii Halicarnassei fontibus et fide historicam disquisitionem jam paremus, cui rei a nemine adhuc operam satis accuratam impensam esse miramur, alio tempore non deerit nobis occasio, de singulis fusius agendi, quaeque primis adhuc lineis enotavimus, ulterius persequendi et accuratius retractandi.
